

1993-07-06 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Curitibae In Perampla’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

CURITIBAE IN PERAMPLA

TEMPLUM CATHEDRALE METROPOLIATANA SEDIS CURITIBENSIS BEATAE
MARIAE VIRGINI TITULO «NOSSA SENHORA DA LUZ» INVOCATAE DICATUM,
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Curitibae, in perampla et frequenti Brasiliae urbe posita intra fines Paranensis Civitatis, clarum exstat templum cathedrale Beatae Mariae Virginis a Luce, patro sermone «Nossa Senhora da Luz» nuncupatae, in quo, architecturae genere «gothico» mire aedificato, a fidelibus loci totiusque archidioecesis pie colitur decora imago Deiparae Virginis memorato titulo invocatae. Constat praeterea eandem ecclesiam notum esse centrum Christianae vitae, actionis pastoralis et apostolatus laicorum necnon operum caritatis praesertim in pueros et egenos. Qua re, cum Venerabilis Frater Petrus Antonius Marchetti Fedalto, Archiepiscopus Metropolita Curitibensis, litteris die XXXI mensis Maii hoc anno datis, etiam cleri populi sui nomine petiverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae signum tam caris filiis Curitibensibus cupientes praebere, eius sollertia Pastoris preces perquam libenter audiendas esse putamus. E sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum cathedrale, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae ecclesiis hoc nomine insignitis rite competitunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Minime vero dubitamus quin concessus honor haud paulum adferat decoris sacris sollemnibus, quae die VIII mensis Septembris proximi istic agentur ob expletum saeculum ex quo templum istud divino patuit cultui. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Iulii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status